



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Gangulphus C. 11. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

## S. GANGULPHUS C. II. Maii.

**G**ANGULPHO Dynasta Burgundo corporis, animi, quæque fortunæ propriè imputamus, bonis felicissimo, nihilominus cum malorem omnium extremo malâ uxore conflietandum fuit. Ea præter cæteram morum perversitatem etiam fœdis amoribus indulfit, quos denique fons prodidit, & hoc & aliis prodigiis illustris. **G**ANGULPHO in Campaniâ prandenti simplicissima ad speciem quæstio excidit, quanti fontanam, cui affidebat, hospes æstimaret; sibi enim opidò allubescere. hospes delirium interpretatus, pretium tamen statuit. **G**ANGULPHUS aquam, quanti indicata erat, emit, & se dat in viam; fons, inaudito miraculo, eum sequitur, & Varennis, ubi domicilium habebat, novo ortu erumpit, seriò jam damnante mercimonium suum Campano. Ex hoc ergo fonte calculum levare **G**ANGULPHUS uxorem iussit, absoluturus eam, si id impune fecisset. Accipit conditionem cum risu adultera; sed brachium velut ex Vulcani ollâ fœdè ustulatum retulit; nullo tamen, præter divortium, incommodo affecta, ad ingenium rediit, & denique adulterio parricidium conjunxit. Ib ubi amator illius (prò pudor! Clericus erat) perpetratum ad prostibulum  
retu-



302 VITÆ SANCTORUM. 12. Maii.  
retulit, infelicem animam cum alvo de-  
jecit. GANGULPHUM miracula divis exa-  
quarunt; quæ cum adultera traduceret,  
infami per omnem vitam supplicio est  
exercita, quod prode verecundiores,  
quàm illa fuit, literæ erubescunt. *Ex Syr.*

*Mentiri & jurare lingua tua prorsus ig-  
noret, tantusque in te sit veri amor, ut quid-  
quid dixeris juratum putes. De quo Salva-  
tor ad discipulos ait. Non jurate omni-  
no: Sit autem sermo vester. Est Est, Non  
Non; quod autem his abundantius est, à  
malo est. S. Hieron. ep. 14.*

S. PANCRATIUS M. 12. Maii.

**N**on omnes serò sapere Phryges,  
PANCRATIUS ipse quoque Phryx  
ostendet. Quatuordecim non amplius  
natus annos vitâ quàm Christum ma-  
luit perdere, quæ quidem summa est sa-  
pientia. Principe familia, Cledonio pa-  
tre ortus, eoque mortuo, Dionysio  
patruo in tutelam commendatus Ro-  
mam cum eo commigravit, quo tem-  
pore Diocletianus, Christiani sangui-  
nis gurges, totius Imperii viribus ad  
excindendam innocentiam abutebatur,  
commodum accidit, ut in eâdem re-  
gione urbis Romanus Pontifex latita-  
ret, in quâ PANCRATIUS domici-  
lium collocarat, nimirum ut dignissimâ  
manu hoc liliam Numini consecraretur:  
cujus